

occultè ponitur vocaturq; dissimulatio: Positivus cum ponitur, quod re ipsa negandum est diciturq; simulatio. Dissimulabat injuriam legatis connubia petentibus illatam, debitumq; tempus vindictæ expectabat. Non enim statim expedit concutere felicem statum, b) & belluarum ritu in perniciem non necessariam ruere: c) Distingvendum prius an bellum quod juris est, sit etiam prudentiæ, d) expendendum, an intersit reip. jus suum persequi e) proponendæ animo non modo propriæ vires, sed etiam vis fortuna, & Mars bello communis. f) Ignavo cuivis licet bellum incipere: g) verum caveant sibi ne preveniendo rerum occasiones se ipsos perdant. h) Galli festinatis casibus mirificè delectantur: i) sapius tamen lenta Hispanorum virtus eorum præcipitantiam fecit irritam. k) Quare non contemnendum Gvevaræ monitum: l) Si casus ferat ut Princeps subitaneum petat consilium, non subitaneum ei dandum responsum. Excipimus hoc loco casus maxime subitos, ubi res moram vix patitur, ne interim, dum Romæ consulitur, occupetur Saguntum, m) vel dum Consul Senatum in ædem Bellonæ evocat, Hannibal sit ad portas: n) Potuisset Senatus occiso Caligula amissam libertatem recuperare nisi consultationum obstitisset tarditas, o) sic scitum est Caroli V. proverbium cum multitudine Comitiorum parum proficeret: *Dietæ Dietam parit, & partus suffocat Matrem.* p) Est etiam tempus ubi nec consilii nec auxilii locus datur, ut cum Alexander Garamantes obrueret, miseri homines, maximo terrore perculsi, neq; fugæ se dare, neq; arma arripere, neq; de resistendo cogitare volebant. q)

a) Grotius Jur. B. & P. lib. 3. cap. 1. n. 7, 8. b) Senec. Oedip. act. 4. vers. 70. c) Forstn. 2. Annal. p. 172. d) Boxh. Pol. lib. 1. cap. 12. §. 1. e) Ibid. §. 16. f) Liv. lib. 30. cap. 30. g) Salust. Jugurth. cap. 83. h) Boxhorn. loc. cit. i) Gramond. hist. lib. 1. p. 28. k) Guicciardin. lib. 5. Joh. Mariana de reb. Hisp. lib. 27. & 28. Bembus hist. Venet. lib. 12. Mich. Coccin. de bell. Ital. l) Horolog Princ. lib. 3. cap. 14. m) Vupell. de pace qv. 74. n. 2. n) Arnif. de Rep. lib. 2. cap. 7. sect. 2 n. 34. o) Sveton. in Claud. cap. 10. p) David. Chytraus Saxon. lib. 19. q) L. Boscus. l. 3. de antiquitatib. Græciæ.

XXII. Simulationem exercebat Romulus, cum fugiendo ^{2 simulando} Fidenates eo alliceret, ubi testi virgultis equites terga fugantiū cap. 14. tutius possent ferire: idem consilium, quod Numidæ postea a) & Hannibal b) in perniciem Romanorum repetierunt. Fugæ quia hic fit mentio, sciendum, eam vel esse ex formidine, vel ex neces-